

485

483

489

479

494

474

434

384

Ende

Anfang

470

inde praesepe ligneum, quod Joseph fabricasse dicitur, et panniculos, et caligulas Joseph, camisiam longam beatæ Virginis [sumsit], et duxit in Constantinopolim, non ut Bethlehem spoliaret, sed ut etiam alia loca cum bethlemiticis reliquiis honoranda redderet. Posuit autem praefatas reliquias Constantinopoli in ecclesiam S. Sophiae, quae ibi manserunt usque ad tempora Caroli Magni. Hic Carolus civitatem sanctam Jerusalem et patriarcham ejus Zachariam liberavit de potestate Sarracenorum, et Christianis orientalibus pacem reddidit. Qui dum cum exercitu suo in Constantinopolin rediisset, petivit in refusionem laborum suorum praesepe cum foeno, panno, et caligulas et camisiam beatæ Virginis. Et ea omnia obtinuit, et Romam duxit; foenum autem ad ecclesiam beatæ Mariae majoris posuit, praesepe vero ad sanctum sanctorum in ecclesia lateranensi collocavit; camisiam autem et caligulas Joseph ac pannos, quibus involutus fuerat puer Jesus, in Alemaniam bassam transtulit eaque Aquisgrani in ecclesiam beatæ Virginis, quam aedificaverat, posuit. Usque in hodiernum diem monstrantur ibi semper in VII anno. Haec ego ibidem vidi anno 1467.

Quintus status loci nativitatis Christi talis fuit. Post illa praedicta tempora conversus fuit ad Christum totus oriens, et loca sancta ab universis mundi nationibus visitabantur, et quique devoti et Sancti venditis omnibus, quae habebant, cum pretio ad terram sanctam veniebant, et in ea comparata mansione vitam hic finire cupiebant. Inter haec venit beatus Jeronymus de Roma, et in Bethlehem manere elegit circa praesepe Domini. Quem secuta fuit Paula, sanctissima vidua, et plures alii. Sicut patet fol. 6 A. et fol. 8 A. Post illa aurea tempora crescentibus delictis Christianorum iterum Sarraceni terram sanctam cuperunt tempore Benedicti octavi, sub quo schisma magnum in ecclesia fuit ortum, et multa mala facta, et tenuerunt Sarraceni loca illa sancta annis multis sub tributo. Deinde iterum Christiani per mundum gemebant pro locis sanctis, et adunatus fuit totus occidens, et ingressi per mare et terram in multitudine gravi recuperaverunt terram sanctam multis laboribus, et regem in Jerusalem fecerunt, et reaedificaverunt ecclesias et monasteria, instituentes episcopos

